ARCTISSIMUM
LEGIS CUM SYNAGOGA
NEXUM,

JUXTA ILLUD HEBRÆORUM:

VBI NON EST LEX, NON SVNT SYNAGOGÆ,

EXPENSURUS,

AD

SOLEMNEM

LEGUM
GYMNASII ELBINGENSIS

REPETITIONEM

D. XII. SEPT. A. MDCCXLVIII.

MORE PATRIO

INSTITUENDAM,

MAGNIFICOS, GENEROSOS ET AMPLISSIMOS

URBIS
PROCERES,

COETEROSQVE

MUSARUM PATRONOS

OMNI, QVO DECET, OBSERVANTIÆ CULTU

OFFICIOSE INVITAT

JOANNES LANGIUS,

ATH. RECT. P. P. ET BIBL.

ELBINGÆ, LITTERIS PREUSSIANIS.

Quantum omnino utilitatis, quantumque dulcedinis in cedro dignissimis populi israelitici antiquitatibus lateat, illi nos præprimis docent, qui meritorum de politioribus litteris laude & fama maxime florentes in illustrandis vindicandisque istis a contemtus & oblivionis vitio multum temporis ac sudoris consumserunt. a) Sicuti vero singulares illæ neque intellectu necessariæ minus quam notatu gratissimæ assiduis rerum judaicarum cultoribus omnes semet commendant antiquitates, ita non ultimum eas inter merentur locum, quæ Synagogarum & legum in Synagogis omni industria, omnique studio tractandarum exponunt rationem, juxta illud: אם אין תורה אין בתי כנסיות *Ubi non est lex, non sunt Synagogæ.* b)

Animum nostrum Synagogarum minime solicitat origo. c) Quippe Bertramo, d) Lightfooto e) & Semlero f) illas jamjam sub Josua & Judicibus viguisse statuentibus, præter Sigonium g) & Vitringam h) Buddeus i) aliique eas demum Israele in captivitatem babylonicam deducto temploque diruto erectas fuisse autumant. Sed hoc saltem indicasse juvat, magnam illarum in Judæorum animis omni ævo fuisse venerationem, easque cultui divino sacras, quantum necessitatis tantum dignitatis

a) Ex multis aliis huc pertinent *Lundii* jüdische Heiligthümer. *Witsii miscell. sacra. Leydeckerus de republ. Ebr. Goodwini Moses & Aaron.*

b) Quod exhibet *Relandus in antiqu. hebr.* p. 117. ex *Midrasch Esther.* 123. 1.

c) Plura videsis hac de re in *Quenstedii antiqu. bibl. & eccl.* c. VIII. n. VI. §. 1.

d) de *republ. Ebr.* c. XV.

e) *Opp. Tom.* I. p. 473.

f) in den *Antiquitäten* der Heil. Schrift. L. III. c. XV.

g) *de republ. Hebr.* L. II. c. VIII. p. 86.

h) *de Synagoga veteri.* L. I. part. II. c. 2.

i) *in H. E. V. T.* P. II. Sect. VI. §. X. p. m. 976. *

gnitatis habuiſſe. Placuit enim Iſacidibus in condendis Synagogis nullis nec impenſis nec labori parcere. Vel ſola Hieroſolyma, ſi Lightfooto k) fid.s adhibenda eſt, ultra CCCC vel omnino CCCCLXXX intra ſua numeravit mœnia. Siquidem ea Doctorum judaicorum fuit ſententia, ut ubi ſaltem viri iſraelitici decem, non cujusvis tamen conditionis, ſed qui opere intermiſſo ſacris quotidie adeſſe poterant, בַּטְלָנִים otioſi dicti, h. e. litterati & legis ſtudioſi l) commorarentur, exſtruerent Synagogam. m) Quam lubrica hinc nova illa & inaudita quondam Jo. Harduini conjectura ſit, ſomniantis, non plures Hieroſolymis exſtitiſſe Synagogas quam duas, civium alteram, alteram Libertinorum, jam pridem cel. Deylingius & feliciſſimo quidem ſidere demonſtratum ivit. n)

Ad hæc ſoliciti erant anxiique Hebræi in eligendo loco, non minus ſanctitate, quam gloria Synagogæ exſtruendæ digno, quantumque amœnitatis, tantum utilitatis habituro. Optimum enim judicarunt, illam vel edito monti & collibus eminentibus imponere, o) freti Salomonis effato: in vertice locorum ſublimium clamat ſapientia, p) vel ad lacuum & fluviorum crepidines magno religionis apparatu excitare. q) Nec temere. Memores quippe & manuum, antequam ad preces faciendas accederent, lavationis & verborum Prophetæ: in die illo erit fons apertus domui David pro peccato & immunditia, r) ripas amnium & piſcinarum illis condendis conve-

 venien-

k) *in cent. chor. Matth. præm.* c. XXXVI. p. 70. 71.

l) *in hor. hebr. & talmud.* ad Matth. c. IV, 23. p. 248.

m) Id quod apud *Goodwinum* l. c. ex *edit. Reizii.* p. 163. ſequens Judæorum indicat formula אֵין עֵדָה פְּחוּתָה מֵעֲשָׂרָה non eſt Synagoga minor decem.

n) *in obſ. ſacr.* P. II. obſ. XXXV. in Act. VI, 9.

o) Quem morem noſtro adhuc Judæos obſervare ſeculo, docet *Schudt* in ſeinen jüdiſchen Merckwürdigkeiten. P. II. L. VI. c. 6. §. 49. p. 124.

p) Prov. VIII, 1. 2.

q) teſte *Zornio in diſſ. de ſcholis publicis, quas Judæi prope a lacuum crepidinibus exſtruxiſſe perhibentur.*

r) Zach. XIII, 1.

venientiſſimas judicarunt. Hoc evincit Paulus, gentium Apoſtolus, qui Philippis agens, cum Timotheo, filio ſuo γνησίῳ ἐν πίστει, s) die Sabbati ſe exiiſſe dicit extra urbem ad fluvium, ubi ſupplicatio fieri ſolebat, ibique ſedentem allocutum fuiſſe feminas, quæ convenerant; t) illud vero teſtatur Synagoga, ad templi latus prope atrium ſita, in qua Salvator duodecim annorum puer ſedens docuiſſe legitur. u) Chriſtum enim non in ipſo templo, ſed in Synagoga ſaltem prope templum exſtructa, Doctoris munere functum eſſe, vel exinde patet, quod mortalium nemini, nec ſummo quidem Pontifici, nec ipſi Regi, niſi ex familia davidica prognato, in eodem ſedere licuit. Hinc qui in Synagoga prope atrium templi ſedens Moſen & Prophetas legit, in ipſo templo ſediſſe & legiſſe exiſtimatur. Dices quidem, Meſſiam ex ſangvine Davidis genus ſuum ducentem, Regem Regnantium & domus Altiſſimi Dominum, facultate præditum fuiſſe, ſicut omnes in templo vendentes ementesque ejiciendi & numulariorum menſas ſellasq; venales habentium columbas evertendi, w) ita doctrina & ſapientia ſua in admirationem omnes atque ſtuporem rapiendi, & ſedendo quidem. Aſt non Salvatorem modo, ſed illum ἐν μέσῳ τῶν διδασκάλων, i. e. una cum aliis juventutis judaicæ Doctoribus, quibus in templo ſedere prohibitum erat, diſcipulis ſtantibus & Magiſtrorum verba audientibus ſediſſe, innuit Evangeliſta. Ex cujus teſtimonio videmus pariter, quid cauſæ fuerit, cur & tempore ſecundi templi in Judæa æque ac aliis regionibus, & illo jamjam deſtructo ad noſtrum usque ſeculum multis in locis Synagogas exſtruxerint Iſacidæ, ſc. non ut in iisdem ſacrificiis offerendis igneque cremandis voluntati divinæ facerent ſatis. Nam ſicuti Urbe ſanctiſſima a romano milite occupata, Sacerdotibus mortem a ſe deprecantibus, Victor teſte

s) I. Tim. I, 2.
t) Act. XVI, 13. conf. *Wolfii cura philol. ad h. l.*
u) Luc. II, 46.
w) Matth. XX, 12.

teſte Egeſippo x) reſpondit, deficiente templo cultuque divino non amplius opus eſſe Sacerdotibus, ita altari holocauſtis comburendis inſerviente funditus everſo, illoq; vero & unico per Chriſtum N. T. Sacerdotem maximum in corpore ſuo jamjam oblato ſacrificio, per omnes V. T. adumbrato typos, hæc religionis judaicæ ceſſat pars. Sed ille Synagogarum fuit ſcopus, finis ille, ut & orandi & legem prælegendi occaſionem locumque Judæorum haberet concio. Ex quibus non difficile ad judicandum eſt, diſcrimen Synagogæ & ſcholæ judaicæ in eo præprimis conſiſtere, quod in illis ad preces fundendas & ad legem Prophetasque legendum, in hac autem לדרוש ad ſcripturam allegorice explicandam & ad traditiones Majorum proponendas evolvendasque convenirent. Hinc non mirum eſt, ſcholam בית המדרש domum ſubtilitatis & acuminis Synagoga præſtantiorem eſſe, hancque ex mente Judæorum in illam, non illam autem in hanc, ſanctitate eam multis vincentem modis, converti poſſe. y)

Sed legem inſimul iſtam, in qua legenda toti erant Levitæ atque Scribæ, indicandi facultatem otium hoc præbet litterarium. Eam præter, quæ Judæis æque ac gentiliſmi erroribus involutis per creationem inſita fuit, quæque ab ipſa hominum natura naturalis dicitur, aliam adhuc Hebræorum genti divinitus conceſſam fuiſſe legem, uſitata illa in ſcriptam & oralem ſ. oretenus traditam & non ſcriptam exponit diſtinctio. z) Poſſemus quidem & ſeptem illas famigeratiſſimas Noachi leges, a Jo. Seldeno a) luculentiſſimo commentario illuſtratas, quas tanquam præcipua Juris divini univerſalis capita Patriarcham hunc ante & poſt diluvianum natis ſuis quam diligentiſſime inculcaſſe credit Buddeus, b) annumerare non ſcriptis, niſi auctori-

x) L. V. c. 45. vom jüdiſchen Kriege.

y) Id quod docet *Goodwin* l. c. L. II. c. II. §. 9. auctore *Moſe Maimonide in tract. thephillah.* c. XI. ſect. 14.

z) vid. *Pfeifferi Theol. Jud.* exerc. IV. *de triheræſio jud.* th. 3. p. 189.

a) *in opere de J. N. & G. juxta diſciplinam Hebræorum.*

b) *in introd. ad hiſt. Phil. Ebr.* ed. nov. p. 20. & in *H. E. V. T.* T. I. Per. I. Sect. II. §. V. p. m. 194.

tas præceptorum noachidicorum ab aliis in dubium vocata idem prohiberet. Adhæc eam quoque Judæi ſtatuunt non ſcriptam, quam cum Moſes per 40 dies noctesque in monte commoraretur, una cum ἐγγράφῳ DEUM illi patefeciſſe credunt, addito mandato, ut quemadmodum ipſe ab ore ad os hanc accepiſſet oralem legis expoſitionem de obſcurioribus typis, ſacrificiis, ritibus, aliisq; placitis, ita & oraliter eandem propagaret. Quas traditiones tanta recipiebant veneratione, ut ad illas magis quam ad verba legis attendendum eſſe, turpiſſime jactitarent Rabbini. c) Iſta vero non ſcripta lege Majorum hariolationibus potius obnubilata quam illuſtrata, mirum non eſt, & Prophetis querelarum datam fuiſſe occaſionem & turgidam poſtea Phariſæorum gentem, DEI dictum ſua, quam tradunt, inſtitutione reſcindentem, juſtiſſimam Salvatoris incurriſſe reprehenſionem. d) Majorem itaque in DOMINUM animis & amorem & admirationem ſui conciliavit lex, litteris conſignata & Moſis miniſterio omni tradita populo. Ecquis enim in legis divinæ conditore non tantam deprehendit auctoritatem, quantam in illa promulganda majeſtatem? Et utrum miranda ſit illius magis ſanctitas an perfectio, alii dicant. Interim conſtat, generali legis denominatione omnia Moſis ſcripta venire, circa quæ non conſervanda modo, ne apex deſideraretur ullus, Scribarum & Legisperitorum cura admodum ſolicita fuit, ſed ut per anni quoque ſpatium abſolveretur Pentateuchus, Judæis placuit, illum in ſectiones quasdam ברשיות dictas dividere, e) ex quo legis ſtudio noſtra ſine dubio nata eſſe videtur Judæorum formula de ſororia legis & Synagogæ harmonia. Quam ſane in dubium vocare audebit nemo, niſi antiquitatum morumque judaicorum hoſtis & vituperator. Nam lex divina, cui potius quam Synagogæ convenit? & in Synagoga quid magis tractanda legendaque eſt, quam divina lex?

c) vid. *Pfeiffer l. c.* p. 189.
d) Marc. VII, 13.
e) vid. *Pfeifferi Critica ſacra.* p. 8. & 22. &c. *Fabricius in partic. Cod. Hebr.* cap. VIII. p. 34.

lex? Sicuti enim nullum dignius & utilius DEI munus excogitari, multo minus verbis indicari poteſt, quam perfecta & voluntati divinæ ſimillima lex, ita Synagoga nullum nec præſentia nec ſanctitate Altiſſimi dignius reperiri vel elegi poteſt ædificium. Non eadem quidem in Synagoga quam in templo ratione, præſentiam ſuam declaravit DEVS, æque tamen ejusdem criteria coram & palam ſæpe numero in illa præ ſe tulit, in qua, avitorum ſacris dicata per tres ſeptimanæ dies, ſecundum, quintum & ſabbatum f) erudiendus erat Judæus Apella non in artibus atque ſcientiis, humanæ felicitatis fulcris, ſed in voluntate DEI, lege expreſſa.

Sicuti vero Chriſtus & Moſes arctiſſimo inter ſe cohærent vinculo, g) & quod in altero typis atque ceremoniis legalibus præfiguratur, in altero impletum exhibetur, h) Joanne affirmante, i) gratiam & veritatem, figuris V. T. oppoſitam, per J. C. factam eſſe, ita nullum eſt dubium, quin multæ Eccleſiæ moſaicæ reliquiæ in œconomia N. T. adhuc inveniantur. Nonne lex divina, eaque moralis, cujus in doctrina de Chriſto & ſalutari ipſius Evangelio, imo de juſtificatione hominis peccatoris coram DEO, contra Antinomorum inſultus, novosq; ejusdem oſores magnus & legitimus uſus eſt, k) præclari inſtar depoſiti Angelorum miniſterio Judæis concredita, l) per hos ad Chriſti pervenit adoratores? Id quod evangelizans ille Vates quam apprime teſtatur, m) dum: ex Sione, inquit, lex (non fidei ſaltem, i.e. doctrinæ Evangelii, n) ſed vitæ quoque morumque) & Hieroſolymis diſciplina DEI proficiſcetur.

Abſit

f) conf. *Pfeifferi dubia vexata S. S.* Loc. XCIV, c. XII, §. 5. p. 493.
g) vid. *Jo. Ad. Oſiandri Differt. de Moſe & Chriſto.*
h) conf. *Rambachii Chriſtus in Moſe.*
i) c. I, 17.
k) conf. *progr.* lectu digniſſimum, *quo uſus, quem lex divina ſcripta ante juſtificationem in monſtrandis peccatis habet, ab objectionibus nonnullis vindicatur,* die Pent. ſacro a. c. Regiom. propoſitum.
l) Exod. XIX, 3. XXIV, 3. Jo. VII, 19. Act. VII, 53.
m) Jeſ. II, 3.
n) Rom. III, 27. Jac. I, 25.

Absit itaque legem a Christo, novo legislatore, qui præceptis Decalogi ab humanis traditionibus liberatis, evangelica quidem, non legalia addidit, petere velle. Quin potius affirmare liceat, legem a legis ministro i. e. Mose ad Christum, legis restauratorem, perque hunc in Ecclesiam christianam pervenisse. o) Sed eadem qvoq; ratio est locorum, cultui divino & educationi juventutis in N.T. dedicatorum, quæ Synagogarum judaicarum. Nonne enim harum vestigia & in Ecclesia & in Schola exhibentur christiana? p) Paganis quidem & sua fuere sacella & delubra, locaque cultui numinum consecrata, q) ast nedum plurima superstitionis gentilis auctore satana, DEI simia, judaismo suam debere originem, hujus omnino loci est illud divi gentium Apostoli: quæ Christo cum Beliale concordia aut quod Christiano cum paganis commercium? r) Templorum itaque & scholarum christianarum annales cultui potius V. T. & Synagogis Judæorum quam gentilibus nos debere, ambabus ad unum omnes concedent manibus. Hocque in causa est, cur Ecclesiam christianam cum Synagoga judaica conferendam esse, post Grotium, Seldenum, Lightfootum, aliosque magni nominis viros, ornandam defendendamque sibi sumsit Vitringa. s) Et ne nos ab indole ac simplicitate, quæ in prisca viguit Ecclesia, recessisse & a veritatis tramite nimis aberrasse quis putet, ad unicum illud instar omnium confugimus, quod in dubium vocabit nemo, Ecclesiam Scholamque cum lege arctissimo conjunctas vinculo, nullo modo separari posse.

Optimum itaque & evidentissimum Scholæ bene ordinatæ constituit criterium lex; lex inquam tam divina quam humana,

ad

---

o) vid. *Buddei instit. Th. Mor.* P. II. c. I. §. 13. Langens Evangel. Licht und Recht. ad Matth. V. VI. *Albertus* zum Felde *in politica sacra.* p. 246. &c.

p) conf. *Buddei diss. de ritibus ecclesiæ latinæ judaicis, quæ in ejusdem parergis hist. theol. exstat.*

q) vid. *Cellarii antiqu.* Rom. L. I. Sect. IV. c. VII. *cum not. Walchii.* ed. nov.

r) 2. Cor. VI, 15.

s) *in tribus de Synagoga veteri libris.*

ad cujus normam & Docentium & diſcentium fides ac vita, omnesque dirigendi veniunt labores. Triſtis enim Scholæ eſt facies, in qua legis divinæ ratio aut nulla habetur aut aliqualis ſaltem & tralatitia. Sed triſtior adhuc, ſi nullis nec divinis nec humanis fundata eſt atque munita legibus. Quemadmodum enim nulla felix eſt in hac rerum inconſtantia & corrupta ſeculi tempeſtate publica res ſine legibus & diſciplina, ita ſcholaſtica multo minus gubernatio & conſervatio, ſalutarium regenda monitorum habenis, niſi præſcriptas habet formulas, ſuam tueri poteſt dignitatem. Nulla hinc ratione, quibus civitatis ſalus & incrementum curæ eſt cordique, ſuum erga illam declarare melius poſſunt amorem, quam rite ſanciendis tuendisque ejusmodi legibus, quæ felicitati & publicæ & privatæ promovendæ ſunt idoneæ. Quodſi enim illud demum ſincerrimæ ſubditorum propenſionis indicium eſt, eos non conſilio tantum auxilioque ſublevare, ſed refragantes etiam & immorigeros vi atque legibus ab interitu ſuo revocare, ita juveni incauto, qui

cereus in vitium flecti, monitoribus aſper t)

ſibique relictus mille vitiorum errorumque præceps incurrit anfractus, nullum nec melius nec præſtabilius exhiberi poteſt donum, quam ſi ſalubri legum cynoſura a deviis pravæ concupiſcentiæ mæandris mature arcetur.

Hæcque non ultima quondam PRÆNOBILISSIMI & AMPLISSIMI ELBINGENSIUM MAGISTRATUS fuit cura, cum luce Evangelii intra pomœria ſua A. 1524 quam feliciſſime exorta, u) Seminarium Civitatis ex antiquæ & dirutæ magni olim Hoſpitalarii ſedis ruderibus exſtruere ſibi propoſuiſſet. Quippe non modo effloreſcentem Patriæ juventutem in legibus præſertim divinis erudiri voluit, ſed ut & in virtutis, doctrinæ atque diſciplinæ tramite Docentes

B pariter

---

t) *Hor. de arte poët.* v. 161.

u) vid. *Cl. Jac. Woitii*, Prof. Math. & Collegæ noſtri æſtumatiſſimi, *diſſ. de incrementis ſtudiorum per Polonos & Pruſſos.* c. III. §. 15. p. 60.

pariter ac diſcentes aliquid haberent, ad quod labores & ſtudia ſua, ſuumque otium & quietem componerent, illis ſcholaſticas adhuc ſuperaddendas curavit. Hinc GNAPHEO primo Scholæ Rectore A. 1542 Regiomontum vocato, w) M. NICOL. WIMANNUS, cujus fidei domicilii Muſarum regendi gubernacula commiſſa erant, leges Gymnaſii latino idiomate, legibus ſcholaſticis convenientiſſimo, publica ſcripſit auctoritate, quas germanicis poſtea rhytmis ab Hieronymo Falconio donatas eſſe, ex Mſcto Zamehliano x) refert Prætorius. y) Quarum utilitatem non minus quam neceſſitatem probe perſpectam Seb. Fabricius, Scephuſinus, z) in carmine quodam a) ſequentibus evehit:

Ut ſtudiis autem noſtra hæc ſchola floret honeſtis,
legibus eſt morum ſic ea ſepta bonis.

Dum vero e re civium ſcholaſticorum viſum fuit, antiquas illas revidere & reaſſumere leges, placuit CONSULTISSIMIS PATRIÆ PATRIBUS, Gymnaſii NUTRITORIBUS, easdem, omni cui intereſt, quam maxime accommodatas in præſentem formam atque ordinem redigere, illasque in membranis nitide deſcriptas & ſplendide compactas in majorem fidem atque firmitatem ſigillo Civitatis, in argentea capſula appenſo ſtabilire, & quidem A. 1672 Rectore FRIDERICO HOFFMANNO, qui in memoriam curæ & propenſionis MAGISTRATUS GENEROSISSIMI in palæſtram juventutis, neceſſitate LL. perſpecta, ita cecinit: b)

Vide-

w) vid. Summe Ven. D. *Arnoldti hiſtorie* der Königsbergſchen *Univerſitæt.* C. I. §. 5. & C. II. §. 8. p. 32.

x) Id quod, & quidem autographum ſub tit. *God. Zamehlii Fr. F. Comment. de rei litterariæ ſcholarumque illuſtrium in Boruſſia initiis & viciſſitudinibus*, in Bibl. Gymn. Publ. exhibetur. p. 43.

y) *in Ath. Gedan.* p. 223.

z) qui matricula Gymn. Elb. auctore, 1598. 19 Maji a Rect. M. Jo. Mylio in numerum diſcentium primi ordinis receptus, A. vero 1601 in patria ſua Ludimoderatoris Lübicienſis, poſteaque Miniſtri Verbi divini munere functus legitur.

a) inſerto duabus *Jo. Mylii orationibus* A. 1698 & 99 in Gymn. Elb. habitis.

b) in *progr. invit. ad anniverſ. ſolemnitatem LL.* 1672. 30. Jun.

Viderat id quondam Patrum venerabilis ætas,
cum ſtrueret doctæ culmina pulchra domus.
Noluit exleges tectis habitare Camœnas,
ſed leges, quæ ſint his cynoſura, tulit.
Hæc conſulta Patrum mos eſt recitare quotannis,
ut norint munus tota Lycea ſuum.

Aſt quem fugit, eam optimarum quoque legum humanarum naturam eſſe atque indolem, ut illis ſemper aliquid imperfectionis & inconſtantiæ inhæreat, easque ſub neceſſitate vel variationis vel augmentationis nonnunquam revocandas eſſe, quod hominum mores non ſemper iidem ſunt, ſed cum ſeculo ſæpe numero immutantur. Hinc placuit iterum PRÆNOBILISSIMIS REI LITTERARIÆ STATORIBUS antiquis illis partim *generalibus*, partim *ſpecialibus Gymnaſii legibus de cura gubernandi mores Scholaſticorum: de officiis Scholaſticorum in ludo: in platea & alibi extra ludum: in templo: de pœnis violatarum legum: de pædagogorum officio*, A. 1692. 18. Apr. Rect. ERNESTO KOENIGIO SENATUS CONSULTUM *de feriis reſtringendis*, & A. 1735. 19. Dec. monente G. D. SEYLERO, t. t. Ath. Rect. vigilantiſſimo digniſſimoque, aliud *de officio in Muſeis Gymnaſii habitantium, deque funeraticio beneficio gaudentibus* inſerere.

Quæ cum more Majorum laudabiliter recepto, ne & in hac re a communi ſcholarum conſvetudine, ut Zamehlius loquitur, c) divortium faciat Lyceum patrium, craſtina luce iterum iterumque prælegendæ ſint, ad anniverſaria illa ſolemnia feliciter, faxit DEUS! celebranda, nihil prius nihilque poſterius expetendum eſſe judicamus, quam eorum præſentiam honorificentiſſimam, e quorum nutu & teſtimonio legum dependet auctoritas, Scholæ ſalus.

Agedum, VIRI ILLUSTRIS, MAGNIFICI, GENEROSI & AMPLISSIMI URBIS PROCERES, DN. DN. BURGGRABIE REGIE, PRÆSES, PRÆ-CONSULES, CONSULES, MÆCE-

c) in *Com. cit.* p. 108.

MÆCENATES & PATRONI OMNI OBSERVANTIÆ CULTU PROSEQVENDI, VOSque cœteri EXPERIENTISSIMI, PLURIMUM REVERENDI, CLARISSIMI, PRÆNOBILES, NOBILES, SPECTABILES, HUMANISSIMIq;, cujus demum cunque ordinis aut conditionis estis, FAUTORES & CULTORES LONGE ÆSTUMATISSIMI descendite, descendite inquam ad limites & subsellia Gymnasii Vestri & ingressu Vestro exoptatissimo, benignoque aurium favore omnes, qui vel docendo vel discendo operam suam conferunt, ad novam diligentiam & cum maxime solicitam LL. observantiam excitate.

Quo autem & in reliquis solemnitati huic ex lege scholastica fiat satis, VIR CLARISSIMUS DOCTISSIMUSque DN. JO. DAN. HOFFMANN, CONR. GYMN. PROFESSORque MERITISSIMUS & COLLEGA NOSTER HONORATISSIMUS teneram ætatem ad altiora subsellia nuperrime translocatam in arenam producet, *memoriam Pacis Westphalicæ, annis abhinc centum initæ,* actu oratorio *renovaturam.* Qua occasione non alienum esse arbitramur, incentivum PATRONORUM ac FAUTORUM in Musas amorem perbrevi oratione *de pace scholastica* publice devenerari.

Tandem ardentissimis bene cordatorum votis vota addimus nostra: Maneat pax! vigeat lex! floreat Schola! quo de Civitate patria, ejusdemque Seminario ad seculorum usque consumationem gloriari possit Musa:

HIC EST LEX.
Ergo
HIC EST SCHOLA.

P. P. d. XI. Sept. A. O. R. CIƆIƆCCXLVIII.